

1363

C O D I C E S

1364

delicet, Mundum ad annum Mundi circiter 5854. et Christi circiter 1854. terminandum. Circa annum salutis 1817. eligendum Papam *Fratrem Angelum*, et vocandum *Pastorem Angelicum*. Circa annum 1820. nasciturum et anno 1851. appariturum *Anticristum*, tum fecuturum ejus triennale Imperium, Mundique finem. Atque haec omnia Vaticiniorum qualicumque Minerva expositorum, ductorumque inde calculorum fide, ea tamen cautela, ut se non nisi *Ominari* profiteatur Interpres. Recte sane, nam, qui vices temporis ab ejus scriptione lapsi expendit, facile videt, quoties eum sua destituerint oracula. Ita in Regum *Hispanorum Serie fol. 423.* Regnum istud ad *Andegavenses* transitorum nulla ei Sibylla revelavit. Dixi supra Jesuitam fuisse. En argumentum *fol. 119.* *Quae rerum nostrarum pars mansit intacta? Explosa nova haec Religio tam superbo Jesu nomine; contempta Votorum simplicium vincula, quae solvi possent; irrisa paupertas, tam sumptuosius scilicet nixa templorum aedificiis, et tam splendido Sacrorum apparatu. Tyrannica dicta est coeca obedientia, comparata a Polycarpo (Leyfero) Turcicae, Moscoviticaeque parendi necessitati; gratuita Sacramentorum aliarumque functionum administratio adpellata turpissimus questus; saepius in suspicionem Haereseos doctrina adducta; tota regendi ratio dicta politica, persimilis Machiavelli instituto atque istiusmodi e fontibus petita.*

Addo, inserta passim esse Codici picta calamo Schemata, Tabellasque chronologicas et genealogicas.

DCVII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 453 XVI. Folior. 167. f. lineis longis exaratus, et olim a *Job. Fabro* Ep. *Vindob.* transcriptus suo ad D. *Nicolaum* Collegio, uti Nota praevia tam impressa, quam manuscripta testatur, est Versio *Korani* *Mohammedani* curata a *Petro Mauritio* dicto *Venerabili*, Abbate *Cluniacensi*. Chr. MCXLIII. quam jam *Vol. I. P. 2. col. 1429.* attingi. At vero hic penitus in eam ingrediendum est. Praeit: *Epistola abbatis petri ad dominum Bernbardum Clarevallensem abbatem de translatione Alcorani per eum ex arabico procurata.* Epistolam hanc legas in *Theod. Bibliandri Mahumeticis* sive *Alcorano* 1543. et 50. *Basileae*, ut mihi videtur, per *Oporin.* f. edito p. 1. et in *Bibliotheca Cluniac.* excusa *Paris. 1614.* f. p. quidem 1109. ut est apud *Bibliandrum*, p. vero 843. prout partem *Epistolae* 17. *Libri IV.* constituit, et *περίκοπην* illam, quae de translatione nostra agit, omittit, quod, qua ratione factum sit, difficulter statuas. In hac porro *Epistola* cardo rei vertitur; nam ea non rite perpensa dubium de vero *Alcorani* Interprete natum est, quod *Nic. Antonium* et nuper *Bayerium* novum *Bibliothecae Vet. Hisp.* Editorem *Tomo II. Matri*

ti

ti 1788. p. 25. f. implicuit ita, ut *Petrum suum Toletanum* Interpretem mallent, quam quidem *Robertum Angligenam illum Retenensem*, seu *Ketenensem*. Non animadvertenter videlicet, aperte de duobus distinctis Operibus rem esse *Petro* in Epistola: *Mitto vobis*, ait, *novam translationem nostram contra pessimam nequam Machumet haeresin disputantem*. — *Feci autem eam transferri a perito utriusque linguae viro magistro Petro Toletano*. Nunquid *Alcoranus* contra se ipsum disputat? *Sed et totam impiam sectam*, profequitur, *vitamque nefarii hominis ac legem, quam Alcoran — appellavit, — ex Arabico ad Latinitatem perduxi interpretantibus — Roberto Retenensi de Anglia — Hermanno quoque Dalmata &c.* Quid evidentius? At ubi prius illud Opus? Latet enim vero, uti latebant usque ad *Edm. Martenii* tempora IV. Libri ab ipsomet *Petro Venerabili* contra *Saracenos* scripti, quorum non nisi primos II. Vir ille nactus T. IX. *Vett. Scriptt. et Monum. Paris. 1733.* ad col. 1119. inseruit. Extat tamen, nisi me omnia fallunt, ejus Subscription, et quidem temere adjuncta Subscriptioni *Alcorani* factae a *Roberto Retenensi*. Ita enim citat e IV. Codicibus, qui parum differunt, *Bayerius*: *Illustri viro Petro Chuniacensi abbate praecipiente suus Angligena Robertus Retenensis librum istum transtulit anno Christi MCXLIII. anno Albigerae D. XXXVI. anno Persarum DXI.*

mobi

Hic sistendum erat; hoc enim ad *Alcoranum* pertinet, sed addunt continenter *Bayerii* Codices: *Hunc librum fecit dominus Petrus Chuniacensis abbas transferri de arabico in latinum a Petro magistro Toletano, cum esset ipse abbas in Hispaniis constitutus cum glorioso Adephonso eo anno, quo gloriosus Imperator Cboriam civitatem cepit.* Qua Librariorum oscitantia id factum sit, ignoro; Codex enim, quem prae manibus habeo, nihil de secunda hac Subscriptione. Interim ei *Bayerius* innititur, nihil motus *Mart. Siruelae* suspicione, cum versione *Alcorani* compactum in eodem Codice aliquod aliud opus etiam ex arabico in latinum conversum a *Petro Toletano* extitisse, ad quod referri haec nota posterior debeat. Gaudeo sane, jam hominem ante me id vidisse, neque ultra moror *Bayerium* opinionem suam *J. Alb. Widmanstadii* autoritate fulcientem, qui in Epistola *Mabometis Theologiae*, *Norimb. 1543. 4.* praefixa adserit, a *Roberto Ketenensi* non nisi *Epitomen Alcorani* in latinum traductam fuisse. Falsum id esse docet ipsa *Roberti* ad *Petrum* Abbatem Praefatio, in qua ait, se nihil nisi Arabicum velamen semovisse, nihil excerpisse, nihil sensibilibiter, nisi propter intelligentiam tantum, alterasse. Interim *Widmanstadius*, qui *Epitomen* suam e *Roberti* Versione confectam, nescio unde, habuerit, plures in errorem induxit, velut *Gesnerum*, *Tannerum*, alios, quibus *Nic. Cusanum*, *Erpenium*, *Huetium*, *Aug. Pfeifferum*, *Mar.*

Q 3

1367

C O D I C E S

1368

Marraccium obpone, qui omnes *Robertum* non *Epitomatores*, sed verum *Alcorani* Interpretem agnoscunt, quamvis de ejus interpretatione minus benigne sentiant. His ita constitutis in examinando Codice nostro progrediamur. *Epistolam Petri Chuniac.* ad *Bernbardum* excipit *Prologus Roberti* translatoris *Viri eruditi et Scolastici ad dominum p. abbatem Chuniacensem.* Non suo hic loco positus; pertinet enim ad *Saracenorum Chronicam*, quam post *Alcoranum* jussu ejusdem *Petri Abb.* latinam fecit *Robertus.* Et *Chronicam* quidem vulgavit *Bibliander* supracit. p. 213. *Prologus* noster tamen illi defuit. Video autem apud *Tannerum Biblioth. Brit. Hib.* p. 454. extare illum una cum *Chronica* in Codice *Bodl. Selden. Sup. 31.* Atque en, quae ex illo ad rem faciunt. *Cum iubendi religio, parendique votum pariter utrinque concurrunt; illa nunquam difficilis in aliquo: nec hec deficiens inuenitur. Cum igitur Domino petro viro Venerabili ore mente manique — placuit detegi Mahumet detestabilem historiam (viden' Chronicam) prius ludibrio quam laude dignam, non inuitus ludum illum, licet ludus materiam, ingressus sum, — Sui namque gratia speciali prius laborem aggressus, legem predicti manu propria detexi et in lingue romane thesaurum attuli. En Alcoranum. Reliqua hujus Prologi παραίτημα sunt, praeter querelam, quod illam heresin omnium maximam per me denudatam inter rudes origine sumpta omnes etiam ec-*

clesie doctores in immensum et nimium crescere per quingentos XXXVII. annos passi sunt. Sequitur jam legitima *Prefatio Roberti in librum legis Saracenorum quem alcoran vocant. Domino suo petro diuino instinctu Chuniacensi abbati Robertus Retenen.* — *Vbi sepius atque sero percepit &c.* ut apud *Bibliandrum* cit. p. 7. Succedit ipsa *Korani* Versio, ut apud *Eund.* inscripta et decurrens, ne quidem *Subscriptione*, quam jam supra attuli, excepta. Non possum tamen non animadvertere in notulam, qua τὸ *Albigere* (*Hegira*) *Bibliander* asperfit. *Albigere*, ait, est regnum *Saracenicum.*

DCVIII.

Codex in turc. charta ital. arab. C. 1000
Sec. summum XV. Folior. 229.
8. calamo currente, caractere atro perscriptus, globulis potius, quam punctis miniatis interstinctus, paginis omnibus linea rubra circumdatis, marginibusque passim Notulis arabicis ejusdem coloris adpersus hunc Titulum praefert: *Vero euangelio di essu chiamato christo nouo profeta mandato da Dio* (quae vox per totum Cod. miniata) *al modo secondo la descriptione di barnaba apostolo suo. Barnabae* corpus anno Chr. 478. sub imperio *Zenonis* inventum fuisse in *Cypro* cum *Evangelio* supra perctus, ἔχον ἐπισηδες το κατὰ Ματθαιου Ευαγγελιον ιδιογραφον τῆ Βαρναβα, testatur *Theodorus Lector* L. II. inter *Historicos eccl.* T. III. *Cantabrig.* 1720. p. 571. f. Idem